SPECIMEN INAUGURALE MEDICUM
DE
ERYSIPELATE PUSTULOSO,

QVOD
IN INCLYTA
ACADEMIA FRIDERICIANA
INDULGENTISSIMA
AUCTORITATE REGIA
ET
CONSENSU GRATIOSÆ FACULTATIS MEDICÆ
PRO
GRADU DOCTORIS
SUMMISQUE IN ARTE MEDICA HONORIBUS
ET PRIVILEGIIS
LEGITIME IMPETRANDIS
EXHIBUIT
D. XVI. SEPT. ANNO MDCCXL.

AUCTOR
SAMUEL SIMON CHARLEVILLE,
HALLENSIS
GENTE JUDÆUS.



HALÆ MAGDEBURGICÆ,
LITTERIS HENDELIANIS.



TRACTATIO INAUGURALIS MEDICA,

DE

ERYSIPELATE PVSTVLOSO.



Uum mihi ab illuſtri & gratioſiſſima Facultate Medica demandatum ſit edere Specimen inaugurale profectuum, quos per plures annos in medicinæ ſtudiis conſecutus ſum: coepi diſpicere aliquod thema, quod non ſit ſæpius excuſſum, & ſe commendet vtilitate aliqua. Viſum tandem fuit acquieſcere in aliquo medico-chirurgico, quod mihi videtur non adeo quotidianum, mihi autem bis videndum obtigit eo tempore, quo praeceptori fideliſſimo & fautori meo colendiſſimo Exc. D. D. HENRICO BASSIO, Med. Prof. P. operam dedi & ab eius inſtitutione & exemplo fructum percepi. Eſt illud eryſipelas puſtuloſum, quod ſemel in viro LXXX. genario vidi, & iterum in viro L. annorum; quodque in priori

 ſpha-

ſphacelationis initia iam prodebat; in altero autem propeimminentem denunciabat. Illos itaque caſus, vt tunc in memoriæ ſubſidium annotaui, præmittendos exiſtimaui: quibus ſubiungo affectus illius conſiderationem medico-pathologicam, & quæ ad curationem rationalem pertinent ſubiicio. Rogo beneuolum lectorem, velit primos conatus meos venia dignari, & omnia in optimam partem interpretari.

Casus I.



IR LXXX. annorum, temperamenti cholerico-ſanguinei, in quo ſe actionum naturalium vigor appetitu bono & digeſtione commoda ſomnoque ſufficiente prodebat; etiam animales actiones ſatis facile obibat, & quamquam cum aliquibus ſcorbuticæ deprauationis indiciis, cetera, vt illa ætas poteſt, vegetus ac ſanus videbatur. Hic aliquando, nulla manifeſta cauſa prægreſſa, in dorſo pedis ſiniſtri perſentiebat æſtuantem & pungentem dolorem. Rubebat ille locus ſuperficialiter, vt ſolet in eryſipelate fieri. Progrediebatur dolor & rubor ad tibiam, irrequietus erat & æſtuabat ægrotus, ſomnus auferebatur, appetitus labebatur, atque ſenſim emicabant per tumentis loci ſuperficiem puſtulæ exiguæ, quæ non longo tempore interiecto confluebant in magnas veſicas ſero acri flaueſcente, alicubi etiam inſtar loturæ carnis rubente, repletas; quin aliquæ fuſco nigricante humore turgebant. Quam mali indicii eſſent huiusmodi poſtulæ, non poterat obſcurum eſſe: quare non iam amplius ambiguo ſphacelationis initio obuiam ire Exc. præceptor exiſtimabat, & curam ſic adornabat. Interne ſumen-

ſumenda ordinabat bezoardica, cum pulueribus nitroſis & cinnabari iunctis. Exterius crebro fouendam partem iubebat linteis ex decocto calido expreſſis, quod ex ceruſſa, lithargyrio, lap. calamin. bolo albo cum aquis ſolani, plantaginis, fol. quercus, calcis viuæ & aceto vini generoſo paratum fuerat. Cui in fine admiſcebatur Sp. vini camphoratus & myrrhæ modicum.

Quum hæc per biduum adhibita eſſent, manifeſtum erat diſſipatum iam eſſe tumorem omnem cum rubore & æſtu. Redibat ægro ſomnus & appetitus, omniaque naturali priſtino ſtatui reddebantur paria. Supererat vnicum, vt illa, quæ vere mortua & ſphacelata ſuberant, conſuetis medicamentis ad ſuppurationem deducerentur: quod feliciter ſucceſſit, vt poſt tres ſeptimanas transactas æger omnino ſanatus eſſet.

Casus II.

Vir robuſtus quinquagenarius, temperamenti ſanguineo-cholerici, cibis ſalitis & fumo induratis multum delectatus, vitæ ſedentariæ deditus & humoribus abundans, horrore corripiebatur, quem æſtuoſus calor excipiebat, cum anxietate irrequieta & vigiliis. Sequenti die dextrum brachium graue & doloribus vexatum querebatur. Dolores magno & celeri augmento creſcebant, tumor ab axilla ad digitos inualeſcebat, ſenſus æſtuantis pungentisque doloris in momenta ſingula intendebatur. Animaduertebatur mox totum brachium puſtulis obſideri, quæ ſerum flaueſcens includebant. Eædem mox confluebant, vt magnæ veſicæ eminerent. Tumor miris progreſſibus augeſcebat, vt vel triplo craſſius brachium eſſet, quam antea ſanum fuerat. Totus æſtuabat & anhelabat

ægrotus, appetitus proſtratus erat, ſomnus omnino ablatus; pulſus celer & plenus notabatur.

Ita conſtituto homini, ante omnia ordinabatur, quæ conſpicuam plethoram imminueret, larga venæſectio in pede inſtituenda. Hac adminiſtrata offerebatur potio laxatiua ex manna, rhabarbaro & cremore tartari. Mouebat hæc deiectiones quinque vel ſex cum euphoria. Iam ad æſtum ſanguinis contemperandum & diapnoen liberiorem reddendam, offerebatur puluis bezoardicus cum cinnabari & nitro remixtus, iuſtis doſibus crebro exhibendus. Iam quoque externa adhibebantur, quæ imminentem ſphacelum arcerent; ſcilicet fotus idem, quem in præcedenti caſu indicauimus: cuius vſu per duos dies continuato tantum efficiebatur, ut tumore omnino diſcuſſo cetera ſatis celeriter ad naturalem ordinem reuocarentur.

Conſideratio Medica.

§. I. Quod vocabulum eryſipelas Græcum ſit, & rubedinem aliquam in proximo, id eſt in ſuperficie hærentem denotet, optimi Scriptores & linguarum periti vno ore confirmant. Nihil itaque moramur GVIDONIS de CAVLIACO, melioris vtique chirurgi, quam grammatici, originationem, quam tamen barbaro æuo plures approbauerunt, quod dictum ſit, quaſi hæreſipila, quia adhæret pilis & cuti.

§. II. Græcum nomen etiam puriſſimi Scriptores Latini ciuitate Romana donauerunt. Legitur enim apud CORN. CELSVM & PLINIVM. Aliqui plurali numero ponunt eryſipelæ: quod ſine dubio ab errore ſcribarum & typographorum veterum exortum eſt, qui apud CELSVM pro *curatio eryſipelatum*, ſcripſerant *eryſipelarum*. Ignem ſacrum interpretatus eſt PLINIVS, alii ignem abſolute vocarunt.

carunt. Recentiores ignem S. Antonii appellant. Germani, die Rose, der Rothlauf.

§. III. Eſt autem eryſipelas, in genere dictum, tumor quidam ſuperficialis, cum ardore vehementi late ſe diffundens, ex rubro flaueſcens, ſplendens, digito preſſus euaneſcens, ſed mox, ablato digito, rediens, non pulſans, ſed magis obſcure tenſiuam aut pungitiuam ſenſationem afferens. In quo maxime differt a phlegmone, ſeu inflammatione, quæ partem, quam corripuit, in inſignem tumorem eleuat, hinc ſenſum magis tenſiuum, doloremque pulſantem adfert & grauatiuum, qui pro eo, ac ſolutio continui maior imminet, intenſior reddi ſolet. Si inflammatione vera correptum locum tangas, digito is non cedit, ſed renititur, neque rubedo a loco preſſo diſparet, ſed conſtanter permanet. Vbi vero haud diſſimulandum eſt, quod aliquando aliqua, quæ ſunt inflammationi propria, cum eryſipelate coniuncta videantur; ſcilicet, ſi minus exquiſitum hoc fuerit.

§. IV. Dantur enim eryſipelatum variæ differentiæ. Vnum quod exquiſitum eſt, & cutim non excedit, ſed eius ſuperficiem ita occupat, vt in parte eius cum epidermide commiſſa ſubſiſtat. Alterum, quod profundius ad partes cuti ſubſtratas ſe demittit, tumore magis conſpicuo, & rubedine a digito premente non diſſipanda: cui nomen eſt eryſipelatis phlegmonodis. Aliud genus tumorem & habet rubedinem: ſed tumor non reſiſtit prementi digito, vt foueam poſt ſe relinquat. Hoc eryſipelas œdematoſum vocatur, & raro ab initio tale obuenit, ſed in progreſſu fieri tale ſolet, quando febrilis materia a partibus internis ad artus depoſita eſt, quod apoſtaſin veteres dixerunt. Aliquando etiam partibus antea pridem œdematoſis accidit:

quod

quod in hydropicis non rarum eſt conſpicere. Memorant denique etiam eryſipelas ſcirrhoſum, ab euentu, quando non rite diſcuſſum ſcirrhos poſt ſe relinquit.

§. V. Has differentias antiqui medici, a GALENO & Arabibus edocti, tribuebant bili commotæ magis vel minus ſinceræ. Ita eryſipelas maxime exquiſitum deducebant a bile ſinceriori cum ſanguine tenuiſſimo influente. Quod ſi vero qualitas bilis vitiata ſit, & ſic cum craſſiore ſanguine influat, docebant fieri phlegmonodes; aut ſi multum phlegmatici admixtum fuerit, œdematoſum: ſi denique craſſior & terreſtribus partibus vitiata ſit bilis, enaſci ſcirrhoſum ſtatuebant. Quæ quidem dogmata hodie parum attenduntur; quum de illis differentiis bilis, & quod omnino bilis, ad eryſipelas faciat, parum conuicti ſimus, totoque die videamus ictericos multa bile perfuſos, quos tamen eryſipelata parum vexant.

§. VI. Atque has inter ſpecies, ab antiquitate notatas, occurrere ſubinde aliquas, vehementius motas, vt veſiculæ excitentur, a multis iam annotatum eſt. Horum aliquod genus, quod extrema frequentiſſime obſidet, puſtuloſi nomen accepit, eſtque illud, de quo titulus noſtræ diſſertationi præfixus, potiſſimum intelligendus eſt: aliud genus trunci ambitum quaſi circulus aut zona cingit, unde zonæ aut zoſteris nomen accepit: aliud denique herpetis exedentis nomine longe lateque & in profundum etiam ſerpit, vnde formicam veteres dixerunt. CORNELIVS CELSVS his omnibus videtur cancri nomen, in latiori acceptione optauiſſe lib. V. cap. 26. Eſt autem vera & conſpicua differentia inter eryſipelas, quod ex quacunque cauſa exulceratur, facta ſuppuratione in partibus cuti ſuppoſitis, ex quibus materia, quæ abſceſſit, lancetta intruſa ſæpius

plus euocanda eſt; & inter eryſipelas puſtuloſum, quod primis ſtatim diebus, vt caſus præmiſſi docent, puſtulas in cute efformat, quæ initio exiguæ breui tempore confluunt,& conſpicuas magnas veſicas, ichoroſo ſero turgentes, format.

§. VII. Quum omne eryſipelas ab antiquo iam notatum fuerit haud leue & adſpernandum eſſe,habeatque coniunctos febriles motus conſpicuos, & in multis æmuletur indolem peſtilentialis febris,vt Illuſt. FRID. HOFFMANNVS *medic. Syſtemat. tom. IV. p. 303.* pluribus oſtendit: ita maxime fatale illud accidit corporibus ſenilibus & magna humorum, eorumque impurorum copia ſuffarctis. Præcipue autem ſenibus periculum portendit, quod in capite ſæpius recurrit, & conſuetudinale factum eſt, vt Hippocrates iam notauit. Nam ſi aliquam ex communi aëris diſpoſitione labem conceperunt, natura ad hæc loca pridem conſueta malignitatem ſuſceptam deponit. Iam vero ſi conſuetis topicis repellentibus tale eryſipelas tractetur, ad interiores partes retropellitur, & phrenitidem aut ſoporoſos affectus periculoſos cauſatur: aut, ſi refrigerantia & vnctuoſa, vel coagulantia fuerint adhibita, a quibus humoribus ſtaſis, aut coagulum inducitur, labitur malum præceps in profundam corruptionem partium maxime lymphaticarum & cellularum pinguedinoſarum. Vnde vlcera profunda & curationis moleſtæ enaſcuntur.

VIII. Supereſt,vt ad pathologicam conſiderationem eryſipelatis in genere, atque ſeorſim puſtuloſi, propius accedamus: quoniam hac abſoluta facilius erit indicationes curatorias eruere. Eſt autem memorabile, quod eryſipelas nunquam ſine febrilibus motibus ſolet exoriri: aut, ſi forte prægreſſa eſt aliqua cauſa externa, vt nimius calor

a sole, balneo, fornace nimium calente, frictione vehementiori, quibus humores ex imis partibus ad superficiem euocati sunt, illa febrilis manifesta totius corporis alteratio per horrorem sensibilem & subsequentem æstum accedat, & tanquam formam morbo adiiciat, eumque determinet. Quare in hoc morbo non tam ad materiam in certam partem influentem & decumbentem, quam ad febrem, quæ vniuersum corpus afficit, eiusque statum alterat, respiciendum esse existimo. Docet hoc medicus nostri æui fama & meritis celeberrimus Illustr. FRID. HOFFMANNVS præceptor & patronus meus semper colendissimus, *in Medic. Systemat. tom. IV. cap. 13.* Vbi de erysipelate acturus indolem eius febrilem, ad exanthematicas proxime accedentem, multumque cum pestilentiali aliisque malignis commune habentem, grauiter exponit.

§. IX. Subiectum erysipelatis, quod partibus externis inhæret, (nam de eo, quod pleuræ, pulmonibus, meningibus accidit, nobis nunc non est sermo) est cutis, vbi cum cuticula committitur. Quamquam in grauiori malo etiam inferior eius pars cum panniculo adiposo cohærens, afficitur, quod ex eo cognoscitur, quia abscessu & exulceratione eueniente multum puris & ichoris ex profundo emittitur, & sinuosa vlcera enascuntur. De cute autem anatome docet, quod sit textum admirabile ex multis vasculis sanguineis, tam arteriosis, quam venosis, multis intercurrentibus fibris nerueis, compositum: quod forte ante RVYSCHIVM & ab eo perfecte excultam artem vasa arteriosa implendi iniecto liquore colorato & ceraceo, nemo satis clare ostendit. Ab eo autem loco, quo arteriæ in venas reflectuntur, pergunt ductuli quidam quauis arteriola augustiores, qui ordinarie nihil admittunt colorati,

sed

ſed tantum ſeroſum lymphaticum; quod vel in ſubſtantiam partium, ad nutritionem earum, vlterius prouehunt, tandemque ſub lymphæ forma reuehunt; vel per vltimos poros, in ſuperficie vndiquaque hiantes, exhalant, aut ſudoris forma confertim effundunt.

§. X. Quando autem circulus humorum naturaliter conſtitutus eſt, illeque per omnes partes libere æqualiter fertur, corporis noſtri ſuperficies nec rubet, nec æſtuat; ſed moderato calore & colore ex albo & rubro moderate temperato gaudet. Quærendum igitur eſt, vnde illa æſtuatio, rubedo & vaſorum inflatio, quam in eryſipelate notamus, ortum ducat? & vnde fiat, vt non vniuerſo corpori æque accidat, ſed in certa tantum parte ſubſiſtat? Nam qui motu laborioſo incaleſcunt & rubent, per totum corpus æqualiter id patiuntur: & qui febrili calore exagitantur, pariter per vniuerſum habitum rubent & calent, atque pro eo, ac calor & motus imminuuntur & recedunt, rubedo etiam ſenſim diſparet, atque nulla pars cutis ſuffuſa humoribus & quaſi ſplendens remanet, altera ad naturalem habitum reuerſa.

§. XI. Oportet itaque agnoſcere inæqualem & ſufflaminatum in parte affecta humorum decurſum; ita vt a quacunque cauſa effluxus imminutus & impeditus ſit, afluxu interim manente immo etiam magis aucto. Iam quum reditus ſeu effluxus humorum a quacunque parte fiat, per venas & lymphæ vias: in alterutro horum vaſorum genere cauſa eryſipelatis quærenda erit. Venas autem non ſuſtinere hic cauſam, cognoſcimus ex eo, quod experientia docuit, quando venoſo ſanguini refluxus negatus eſt oriri tumorem rubrum, durum, qui, niſi cito emendetur aut auferatur cauſa, liberum effluxum pro-

hibens, in gangrænam & ſphacelum cito labitur. Docent hoc varii caſus, vt fracturæ cum comminutione multa oſſium, præſertim in ipſa articulatione, arctiores ligaturæ parti circumiectæ & diutius relictæ. Quare venæ tunc tantum in ſocietatem culpæ venient, quando eryſipelas phlegmonodes enatum eſt.

§. XII. Super eſt igitur, vt diſpiciamus de lymphæ viis, & motu eius refluo imminuto & impedito. Lympham nutritiam ad omne punctum corporis animalis afferri debere phyſiologi docent. Vltra illum locum, qui ſanguinis rubicundos globulos ſecundum naturam admittere poſſet, in tenuiſſimis ductulis, quos hodierni auctores arterias lymphaticas appellant, prouehi fluidiſſimam maſſæ humorum partem §. IX. diximus: eosdem tandem ductus veroſimile eſt reuehere ſuperfluum & nutritioni nunc non neceſſarium ad cellulas pinguedinoſas, & per illas lente promoueri, partimque in pinguedinem ibi denſari perquam veroſimile videtur.

§. XIII. Si itaque lympha in arteriis lymphaticis primo verſatur & deinde ad cellulas illas influit, quibus in artubus pro venis ſuis vtitur: quæſtio omnis illuc recidit, magisne veroſimile ſit in eryſipelatis generatione illas arterias culpam ſuſtinere, an maiori iure accuſari debeant illæ viæ, quibus ad humorum maſſam reuehenda eſt. Reſpondendum ad hanc quæſtionem cum diſtinctione videtur. Nam in leui & ſuperficiario eryſipelate, quod ſine tumore conſpicuo manet, noxa non videtur arterias lymphaticas excedere: ſed in eiusmodi Caſibus, quales ſunt duo propoſiti, vbi celeri augmento increſcens tumor adfuit, omnino etiam inflatas & ſuffarctas cellulas pinguedinoſas fuiſſe, neceſſarium eſt.

§. XIV.

§. XIV. Quicquid hic accidat, & siue minor, siue maior sit erysipelatis diffusio, illud tamen vtrobique manifestum est, & negari nullo modo potest, quod rubedo conspicua partem obtegat, & simul insolitus & praeternaturalis feruor in illa obseruetur. Cuius aetiologiam si quaerimus, vix aliam inuenire licebit, praeter illam, quod sanguis, rubedinis & coloris omnis causa & origo, vltra fines consuetos penetrauerit. Nam si a quacunque causa arteriae extremae magis expanduntur, fit vt portiones sanguinis rubicundae per ductus ampliatos subeant, quo facto rubedo per vascula transparentia pellucet & in sensus incurrit: mox etiam calor illis locis insuetus percipiatur necesse est. Atque hanc dilatationem continuo auget subsequentium a tergo humorum pressio: Vnde sensus pungitiuus & tensiuus percipitur, magis vel minus pro eo, ac gradus ipsius congestionis differt.

§. XV. Istiusmodi autem euentus, vt sanguinis portio in aliquas arteriosas extremitates prae aliis impressionem faciat, eas dilatet, atque profundius solito penetret, supponit omnino causas antecedentes, quae ad hunc effectum sufficienter valent. Pertinent ad hunc censum 1) ipsius lymphatici seri, quod in illas extremitates influere debet, spissescentia & coagulatio. Vnde in progressu, vbi vascula conica semper angustiora fiunt, subsistunt, sicque efficiunt, vt a tergo subsequentia aceruentur, stagnent, vasa necessario dilatent. 2) Ipsa vasculorum laxitas in subiectis spongiosis & humorum copia suffusis. 3) Praegressa fluidorum & tenuissimorum húmorum dissipatio per euacuationes nimias, vt sudorem, vrinas, diarrhœas. 4) Adsuetudo ad sanguineas commotiones haemorrhagicas, aut euacuationes tales, siue artificiales siue spontaneas,

 nunc

nunc aliquanto tempore omiſſas, de quibus vid. D. D. ALBERTI, præceptoris, patroni & promotoris mei omni obſeruantia colendi *Introduct. in vniuerſ. medicin. p. 262. §. 8.* In talibus etiam non minimum valet 5) particularis humorum commotio, vt ſi ad ſolem vel ignem valde incaleſcant. Tandem non parum huc tribuit, ſi in ſubiecto ita diſpoſito accedat aliqua cauſa humores vniuerſaliter commouens, vt iracundia, ebrietas, expanſiuorum calidorum abuſus; quo fit, vt impulſi humores in illa parte, vbi vna ex cauſis prædictis adeſt, progreſſiui motus impedimentum ſentientes ſubſiſtant, vaſa inflent, expandant, ſicque ſanguini in arterias lymphaticas ingreſſum præparent.

§. XVI. In grauiori & latius diffuſo eryſipelate præuia lymphæ dyſcraſia ex eo potiſſimum cognoſcitur, quod ante, quam illud plene ad ſuperficiem emergat, prius circa inguina aut axillas partis affectæ dolor, cum nonnunquam conſpicuo glandularum tumore percipiatur: quam notabilem circumſtantiam præ ceteris commendat HIER. FABR. ab AQVAPENDENTE *in pentateuch Chirurg p. m. 84.* Iam vero glandulæ illæ lympham a partibus reducem transmittunt: quæ ſi tenax viſcida aut coagulata eſt, in circumuolutis ſæpe & anfractuoſis ductibus glandularum conglobatarum obhæreſcit, atque ſubſequentis progreſſum impedit: hinc fit, vt omnis tractus, a quo reflua lympha traiicere illam glandulam debet, exonerari ab illa nequeat. Et quamquam tumor glandulæ inquinalis non ſemper neceſſario affert, vt videmus in illis, qui infectionis venereæ initia ſuſceperunt, quibus mature dolor & aliqualis glandulæ inflatio accedit, nullo tumore alio ſenſibili ſuccedente: hic tamen, quia humores

valde

valde commoti sunt & turgent, & quo magis turgent, tumor certo & celeri augmento accedit.

§. XVII. Erysipelas raro sine febre plus vel minus conspicua decurrit: in aliquibus autem illa magna & grauis est, cum vigiliis, anxietate, inquietudine, deliriis, corporis iectigatione, vomitu & sensuum perturbatione. Idem si incongrua tractatione retrocedat vel ad interiora pellatur, grauissima & periculi plena mala, inflammationes internarum partium, asthmata, spasticas stricturas saepe lethales producit. Ex quo intelligas neutiquam simplicem lymphae stagnationem in omni erysipelate adesse, sed saepissime ad censum venire causticam, acrem & malignam aliquam dyscrasiam eius vndecunque susceptam & exortam: siue illa ab acri & corrupta bile in nobis sensim generata, siue extra nos vagans in communi aëre miasma susceptum, putredinosam dispositionem attulerit, & febrem in nobis succenderit.

§. XVIII. Superest, vt de pustulis, quae in utroque casu erysipelati celeriter accesserunt, seorsim agamus. Manifesta est earum differentia. Nam viro octogenario enascebantur tales, quae sero primum flauescente, mox rubente, tandem ad nigredinem vergente repletae erant, augescebant, confluebant: In Sexagenario pellucidae, sero flauescente turgentes & confluentes emicabant. In illo vero corruptio emortualis accedebat, vt apparebat, quum separatio fieret corrupti ab integro: in hoc gangraena iam praesens minabatur sphacelum, qui forte subsecuturus erat, si congruum auxilium diutius dilatum fuisset: & robustior minusque senilis constitutio ad resistendum diutius non valuisset.

§. XIX. Quomodo vesiculae enascantur, fere ad sen

sum-

ſum & oculum demonſtrare poſſunt anatomici, quando partes artificioſa iniectione replent. Nam quum illæ ultra arterioſos fines haud penetrare facile ſoleant, fit in partibus teneriori cuticula obſeſſis e. g. renibus, ſi paulo vehementius vrgeatur illa repletio, vt liquor iniectus cutem exteriorem diſſoluat & veſiculas iniecto liquore turgentes formet. Si quis dubitet, an applicabilis ſit experimenti in renibus capti ſucceſſus ad cutem, experiri idem poterit, ſi infantile corpus cera rite implendum acceperit, idque, vt fieri antea debet, aqua tepida probe præparauerit. Vbi enim feliciſſime ad votum ſuccedet impletio arteriarum ad cutim ſummam excurrentium, cuticulam abſceſſiſſe, & materiæ iniectæ tranſitum hinc inde permiſiſſe experietur. Ex quo illud generale theorema enaſcitur, quod cuticula abſcedat & puſtulas formet, vbi nullo aut non proportionato refluxu affluxus continuat & ſemper augeſcit. De puſtulis magnis in natibus & pedibus enatis hincque facta inſanabili exulceratione Caſus notabilis legitur in *Act. Phyſico-med. A. N. C. Vol. 1.* ibidemque cauſa poſt mortem inuenta deſcribitur. Scilicet concretum craſſum polypoſum in illo ipſo loco firmiter hærens, vbi vena cauam iliacos ramos finditur, adeoque influere debebat ſanguis a natibus refluxurus.

§. XX. Progredior tandem ad prognoſin eryſipelatis, parum certam & perpetuam, niſi diſtinguamus ſpecies. Simplex multoties facile ſuperari & vix medicina indigere quotidiana loquitur experientia. Vtique ſi corpus ſit iuuenile, non impurum, ſcorbuticum, aut alia labe infectum, & in regimine nihil peccetur. Habituale & conſuetudinale, præſertim caput ſæpe obſidens, cum tempore periculi plus adferre omnes notant medici, qui & omnes apro-

probant Hippocraticum præſagium: quod eryſipelas introuerti vbique malum, in angina autem vix non ſemper funeſtum ſit. Puſtuloſum celeriter natum & augeſcens magnam & vehementem cauſam indicat: periculumque corruptionis ſphaceloſæ haud tardo pede ſubſequuturæ oſtendit: adeoque citum & proportionatum deſiderat auxilium.

§. XXI. Non agemus hic de omni eryſipelate curando: quod, quia multas habet diuerſitates hic morbus, nimis foret prolixum. Generale axioma ſit, quod omnes circumſpecti practici inculcant, non minimam curam esſe debere, ne ad interiora repellatur: motui febrili temperando, cauſæque vel corrigendæ vel auferendæ ante omnia ſtudendum eſſe. Hæc enim methodus eryſipelati ſincero & ſimplici debetur, eademque ſufficit. Si vero illud mitem ſuam indolem mutat, & celeriter ad gangrænam, ſphacelumque feſtinat: non iam vtique cunctandum eſt, vt corpori, aut ſaltem affecto membro vita & integritas ſeruetur. Niſi enim cito ſuccurratur ſtagnans lympha perrumpit vaſa & cellulas, per interſtitia diffluit, inteſtina agitatione in motum putredinoſum abit.

§. XXII. Quid ad ſalutem propoſitis ægrotantibus maxime profuerit, morbi vtriusque docet hiſtoria. Bezoardica & diapnoica cum temperantibus tali caſu neceſſaria eſſe, apud nullos dubitatur: quare verbum de illis non addo. Venæſectionem in ſexagenario plethorico, purgationem lenem vtrique ægroto ſalutariter fuiſſe adhibitam videmus. Magnus medicinæ practicæ auctor vtrumque remedii genus in eryſipelate condemnat his verbis: *Purgatio eſt ſumme vitanda; venæſectio eſt periculoſiſſima: Eſt enim morbus cutaneus, adeoque interne diapho-*

reticis cura est inchoanda & absoluenda. Enim vero salua sunt omnia, si referatur tam præscriptum, quam prohibitum ad erysipelas leue ordinarium, non ad hoc acutissimum & gangrænosum. Quare potius audiendus est SYDENHAMVS, qui in erysipelate capitis pustuloso præcipit venam secare. Hoc facto lene catharticum dare & subiungere paregoricum. Quin adeo non metuit sanguinis missionem, vt quandoque secundam & tertiam administrare præcipiat. Idem etiam præsidium laudat & commendat Celeberr. HOFFMANNVS *medic. Systemat. tom. IV. p. 312.* vt & BOERHAAVE *aphor. §. 384.*

§. XXIII. Sit autem V. S. satis copiosa, vt abundantiam turgentium humorum sensibiliter minuat, atque in vasis aliquod spacium faciat, quo liberius cetera circulentur. Fiat etiam in parte illa, quæ patienti est opposita; vt si brachium vel caput patiantur, administretur in pede. Si pes in brachio: quo certius humores auocentur & deriuentur. Denique vulnus satis magnum fiat, vt celeri saltu emissus sanguis tanto magis sensibilem faciat diuersionem. Notant auctores, sanguinem sic emissum, quando refrigeratur, pleuriticorum similem esse, & formare albam, duram, crassam, rigidam pellem, fere instar corii.

§. XXIV. Nunc de altero remedii genere, purgatione est dispiciendum. Quam illa sit erysipelaceæ febri, præsertim ingrauescenti, necessaria & proficua, copiose disputat, IO. FREIND *comment. VII. in Hippocrat. de febrib. p. m. 50.* Sed quoniam non auctoritate, sed rationibus & experientia niti oportet: primum de rationibus dispiciemus. Quæritur hic de inflammatione magna & gangrænosa, in quam erysipelas degenerauit. Humores turgentes & commoti feruntur in vnam partem, vbi exitum

tum non inueniunt, adeoque ſtagnant, vaſa perrumpunt, interſtitiis partium ſolutarum interfluunt, ibique ſubſiſtunt. Neceſſarium eſt eos inde reuellere, quod venæ ſectione quæſitum eſt. Iam ſuper eſt, vt aliorſum deriuando humores affluxum & effluxum in male affecta parte porro minuamus & tollamus. Quid commodius eſt purgatione, quæ ſecretione & excretione in tunica inteſtinali aucta ad aluum reuocat & deponit ſuperfluum ſerum, ſicque efficit, vt & nihil amplius in parte affecta effluat, & effuſum reſorberi in vaſa poſſit & alio loco minori periculo euacuari. Eſt hæc antiqua & Hippocratica praxis, in qua manſerunt poſteri, qui in magna inflammatione & a magna cauſſa ortum habente, vt in pleuritide a contuſione, in lapſis, poſt ſanguinis detractionem illico purgabant.

§. XXV. Atque ſimilem rationem curandi magnam inflammationem, iamque ad ſphacelum ruituram præſcribit Clar. BOERHAAVE *de cognoſc. & cur. morb. aph. 384.* Neque tamen promiſcue omnem purgationem hic commendatam velim, ſed concitatam per talia, quæ absque magna in humoribus producta noua commotione villos inteſtinales ad excretionem copioſiorem exſtimulet: qualia ſunt, quæ in caſu deſcribuntur, manna cum rhabarbaro & cremore tartari, tamarindi cum ſale polychreſto & rhabarbaro: agaricus cum tamarindis & rob. ſambuci. Ex talibus concinnata doſis ſatis efficax paucis a V. S. horis ingeratur. Quamquam inuenio veteres nec fortioribus hic abſtinuiſſe, vt videre licet apud SCRIBONIVM LARGVM §. 101. vbi hieram diacolocynthidos hoc caſu commendat: quod forte minus reformidandum videbitur, quam Hippocratis conſilium, qui in inflammatione interna,

na, cui nomen pleuritidis inferæ dederunt veteres, vsque adeo ad helleborum iubet progredi.

§. XXVI. Tandem externi remedii rationes expendendæ ſunt. Adhibitum fuit acetum vini decoquendum cum ceruſſa & lithargyrio. Quo ipſo accipitur acetum plumbi ſeu lithargyrii, guſtu dulce cum adſtrictione, quoniam ſaccharum ſaturni, potens refrigeratorium, vt veteres loquebantur in ſe continet. Hoc diluitur aqua calcis viuæ, ſolani, plantaginis, fol. quercus, additoque ſpiritu vini camphorato & pauxillo myrrhæ calefactum adhibetur linteis imbuendis, quæ expreſſa calide applicantur loco affecto, & identidem renouantur. Agit iſtiusmodi liquor potiſſimum adſtringendo atque ſic repellendo humores, qui in anguſtis conicis vaſculis progredi non poſſunt, in ampliores ductus, partim venæſectione, partim euacuatione per purgationem aliquantum inanitos. Vnde fit, vt rubedo mox conſpicue diſpareat, tumor diſſipetur, omniaque ad naturalem ſtatum reuertantur: niſi iam ſint emortuæ quædam portiones; quarum ſeparationi a viuo, & deinde vlceris conſolidationi ſtudendum eſt, adhibitis iſtis remediis, quæ omni chirurgorum ſcholæ notiſſima ſunt, & hoc loco deſcribere nihil attinet. Quæ aceto huic adduntur, partim anodynam virtutem habent, vt aqua ſolani, partim refrigerantem cum adſtrictoria, vt illa plantaginis & foliorum quercus teneriorum: ſed aqua calcis viuæ ita diluta adiuuat diſcuſſionem, quo etiam facit ſpiritus camphoratus cum myrrha. Atque hæc nunc de eryſipelate puſtuloſo & in gangrænam abeunte dicta ſufficiant.

NOBI-

NOBILISSIMO
DOMINO CANDIDATO

S. D.

FRIDERICUS HOFFMANNUS,

S. R. Maj. Porussicæ Consiliarius intimus & Archiater, Fridericianæ & Ordinis Medici Senior.

PLacet cuique singulare vitæ genus, quod natura ita suadente amplectitur, ut victum sibi & amictum comparet. Sunt enim alii, qui artificum subsellia occupant, vel militum castra sequuntur, alii, qui litterarum studiis se consecrant, alii demum, qui mercaturam facientes per mare, victum quærunt, per saxa, per ignes; sicut quam plurimi solent judæorum. Hi enim, ubicunque fere degunt, ibi aut emunt, aut vendunt, nunquam delassati. Quæ cum ita sint, eo sane magis mirandum & laudandum est, quod TU NOBILISSIME CANDIDATE *ex hebræorum gente ortus, plane contra ritum huic hominum nationi solemnem, negotiis mercatorum relictis, in Medicina potius, tanquam optima in mercatura tam egregie hactenus per aliquot annos versatus sis, ut* TIBI *inde merces haud spernendas comparaveris. Comprobasti hoc ipsum in duobus examinibus, coram facultate nostra* TE*cum institutis, in quorum utroque egregios* TUOS *in arte medica profectus sufficienter ostendisti, ob quos* TIBI *etiam petenti ordo noster summos in arte honores conferre non dubitavit. Gratulor* TIBI *itaque optabile hoc lucrum, diligentia indefessa partum, sincere optans, ut scientia* TUA *multum aliquando ægrotantibus prodesse valeat! Dabam Halæ Magdeburg. XIV. Septemb. M DCC XL.*

DOCTISSIMO ET PRÆSTANTISSIMO

DOMINO CANDIDATO

Pacem & Felicitatem precatur

PROMOTOR

MICHAEL ALBERTI,

Sacr. Reg. Maj. Poruss. Aulicus & Consistor. Magdeb. Consiliar. Medic. & Philos. Natur. Prof. Publ. Ordin. &c. h. t. Facult. Med. Decanus.

AD gloriam mundi pertinet etiam Medicorum quorundam portentosa jactatio de ineffabili peritia & experientia, quæ vulgo etiam Scutum & asylum Empiricorum & Circulatorum esse solet: inde merita sua ex tot titulis & vitulis extollere varii sciunt, qui nihil rectum esse putant, nisi quod ipsorum opinionibus, dictis & factis congruit; ideo tales arguti Censores modo notiones nominales, modo reales tractationes, tam crasse, quam clandestine, soricum instar, arrodere & carpere audent, prætereaque loco meritorum suorum, propriam interdum judicii sui imbecillitatem manifestant. Ob id antiquitus Plinianæ obtrectationes contra Medicos innotuere, quod præter Medicos & Grammaticos nil stultius reperiatur. Illi contra laudem merentur, qui sine gloriosa bonorum operum, atque eximiorum meritorum declamatione effectu magis sub prudenti animi moderatione capacitatem & dexteritatem suam probare possunt. In hoc ornamento veteres medici suis observationibus sua etiam ingenua peritia inclaruerunt. Inter alios casus priscis

Medi-

Medicis ab Hippocrate in sequaces ætates memorabilis affectus Erysipelatis semper extitit, cujus non modo varias denominationes, reales magis, quam grammaticas deprædicarunt, sed & diversas illius species quoad ætates, loca, humores, anni tempora &c. discrepantes, annotarunt, præterea utiles prognoses, observationes & cautelas practicas suppeditarunt, quæ hodiernis ævis satis largam imitationem & applicationem fœnerantur. Multa utique quoad hujus sontici affectus indolem indagandam monenda essent; ast dum inter alias qualitates atque species TIBI DOCTISSIMO DOMINO CANDIDATO *placuit seorsim Specimine Inaugurali Erysipelatis miliaris, quod alias populare, vagum, scorbuticum, serpiginosum &c. vocari solet, speciem & indolem quadantenus adumbrare; ita haud vulgare hoc fuit institutum; siquidem in foro medico non tam criticæ & verboles, quam peritæ, reales & sobriis observationibus roboratæ meditationes saluti hominum consulunt. Plus dupla vice triennium academicum sub vario & assiduo studiorum, negotiorum practicorum & laborum conatu laude digno absolvisti, ideoque sub variorum Clarissimorum virorum manuductione & institutione bonos collegesti profectus, quales in consuetis examinibus ex parte Ordini nostro probasti: quod reliquum est affabilis* TUA *modestia atque humilis verecundia reliquas* TUAS *qualitates non parum exornat & commendat. Annuat itaque ille Angelus fœderis, qui Patres* TUOS *protegente gratiæ nube servavit & ab omni periculo liberavit,* TUIS *bonis ceptis, effundat in* TE *Lumen spiritualis & temporalis veritatis, salvet animam* TUAM, *ut de æternis & mundanis prosperitatibus, ut & felicibus progressibus gaudere queat, ita ille, qui dixit Ego Jehova sum medicus* TUUS & TIBI, *& actionibus & qui* TUO *consilio opus habebunt Salvator & Conservator sit.*

Hac

Hæc ſincero animo TIBI *apprecor*, *voveo*, *&* *ut valeas*, *opto.* *Dabam Halæ Magdeburgicæ d. XVI. Calend. Octobr. A. R. S. cIↄ Iↄcc XL.*

NOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO

DOMINO CANDIDATO

S. P. D.

HENRICVS BASS,

V. M. D. & Prof. P.

DEbetur hoc virtuti præmium, vt præcipue eorum meritis honores delatos gratulemur, qui in medicorum caſtris omni induſtria militantes ſe non ſolum Commilitones ſed duces præbuerunt; quo igitur breuiori via ad veritatem incedam de TE NOBILISSIMO DOMINO CANDIDATO ſcribere non pertimeſco, quod per illam temporis periodum, qua in alma hac muſarum ſede commoratus es, TE cum laude eum præſtiteris, qui ſibi cognitionem medicam haud vulgarem comparauit, ſiquidem me teſte, præter alios ad diſciplinam medicam pertinentes fructus, quos vigili cura collegiſti, de chirurgia & anatomicis tantam adquiſiuiſti notitiam, vt de iis non ſolum docte philoſophari, ſed etiam me præſente operationes quasdam chirurgicas inſpicere eisque felicem manum admouere didiceris. Quid mirum inde, quod Te ideo noſter ordo ſummis in arte honoribus, propediem TIBI tribuendis, dignum iudicauerit. Fruere iisdem in patriæ commodum, ac ægrotantium ſalutem, fruere iisdem ſub perpetuo æterni Numinis præſidio & auxilio, denique dexteritatem agendi, ſolidam & felicem morbis medendi methodum ille TIBI tribuat, qui ſummus medicorum princeps ſolus vulnerat & ſanat. Vale mihique faue. Dabam Halæ Magdeburgicæ die 5. Sept. 1740.

  